



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 114. Principum, ac Virorum Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

eosque in officio deinceps continerent, Sæc. XVII.
 sed ei ab his responsum, quod in præ- A. C. 1615.
 dones animadvertere, eosque e ditione
 sua quoquo modo exturbare sibimetipsi
 integrum foret, probe autem prospice-
 rent, quod si adversus hosce furibun-
 dos arma caperet Elector, ceterorum
 Protestantium arma in se concitaturus
 esset. Eodem quoque anno Fæderato-
 rum classis Georgio Spilbergo Archita-
 lasso, Hispanam classem navali prælio
 die decima septima Julii profligabat,
 dissipatis quinque Hispanorum navibus,
 ipsaque prætoria aquis hausta, unacum
 Alvaresio, & militum quamplurimis:
 Hoc tamen damnum compensatum vide-
 tur felicitate, qua Lusitani hoc anno
 Meliaporam Indiæ Orientalis urbem
 unacum arce occuparunt, ejecto Regis
 Bisnagæ præsidio.

§. CXIV.

*Principum, ac Virorum Illustrium
 obitus.*

Inter Principes, qui hunc annum mor- Gramond.
 tis necessitate sibi postremum habue- Hist. Gall.
 re, erat Margarita e stirpe Valefia, Hen- l. 1. p. 78.
 rici II. Galliæ Regis Filia, Henrici III.
 Soror, & Henrico IV. donec ejus ma-
 trimonii nexus pronuntiaretur irritus,
 conjux, partus tamen omnis expers:
 Dum

Sæc. XVII. A. C. 1615. Dum ætate valuit, nemini forma & venustate, nemini illecebris secunda existit: Regiæ illi virtutes certatim merebant, præ ceteris vero externa in Deum pietas, ac liberalitas in omnes præcipue literatos effusa; suam enim Aulam in Academiam vertisse videbatur, dum in mensa de subtilissimis quibusque questionibus disceptare, nodosque inextricabiles ex tempore dissolvere solita esset: Vitam agebat vario fato plenam, quam odia & amores, honores & contemptus, adversa & prospera componebant, quæque totius aulæ Decus & ornamentum erat, mox ludibrium evasit: Sic impune in hac Regina luserat fortuna: ne vero tota mori videretur, præter perennaturas, egregiasque aliquot animi dotes suam quoque a semetipsa conscriptam, atque ad annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum secundum protractam vitam, factaque posteris reliquit. Obiit Parisiis die vigesima septima Martii. Non defunt, atque inter eos præcipue Author Gallus libri, cui titulus, *Divortium Satyricum*, qui hujus Regiæ memoriam objecto incontinentiæ vitio laceffere non verebatur: verum nec Sapientis, nec Historici partes sunt, insectari convitiis Principes, & vulgare, si quid privatim

ab

ab illis nullo in rem publicam malo peccatum.

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

Decessit pariter Mense Octobri Marcus Antonius Memmius Venetæ Republicæ Dux, qui præter bellum in Prædones Uscochos gestum, Ferdinando Mantuæ Duci adversus Carolum Emanuele armorum suppetias submiserat: Successorem habuit Joannem Bembum septuagenarium. Die decima septima Septembris ex Londinensi Turri ad æternitatis portum transit infelix Arbella Stuarta, Caroli Stuarti filia, Elisabethæ Reginæ Neptis, & Jacobo I. Angliæ Regi propinquitate juncta. Hæc generosæ mentis mulier, vitæ innocentia, ac ingenio ad omnes scientias aptissimo prædita, semper adversam experiebatur fortunam: juvenis adhuc Guilielmo Seymurio nupsit, mox vero Elisabethæ jussu unacum Marito suo carceri dabatur, eo quod inscia Regina hoc matrimonium iniisset, post obitum vero Elisabethæ rursus in libertatem asserta est, qua tamen haud diu fruebatur; cum enim Ralleckiani in Jacobi I. necem conjurassent, & in Regni fastigium Arbellam, patientem magis, quam res agentem, evehere molirentur, hinc eam Jacobus Rex Londinensi Turri includi jusserat, in qua etiam

Hist. Eccles. Tom. LV.

Hh

con-

Sæc. XVII. contabuit, sine omni funeris pompa
 A. C. 1615 prope Mariæ Stuartæ tumulum sepulta.

Insuper præmaturo nimis fato die
 vigesima sexta Decembris mortalium
 consortio Dresdæ ereptus est Augustus
 Christiani I. Saxonæ Electoris Filius,
 nonnisi viginti septem annos natus.

*M. S. auto-
 graph. Claudrum
 Aquaviv. in
 collect.*

*Script. Soc.
 pag. 260. &
 308.*

Denique Claudius Aquaviva Italo-
 Præpositorum Societatis primus
 die decima tertia Januarii Romæ anno
 ætatis septuagesimo secundo decessit.
 Erat is Vir pietate, iudicii soliditate,
 felicitate memoriæ, morum ingenuita-
 te, ac exquisita in rebus gerendis pru-
 dentia adeo celebrer, ut merito inter
 clariores Societatis, quam annis trigin-
 ta quatuor moderabatur, Generales
 numerari valeat: Scripsit plurimas epi-
 stolas, quæ ad Societatis gubernatio-
 nem maxime pertinent; quippe pro offi-
 cii sui ratione primis in curis habebat
 Societatis honorem, & incrementum,
 uti patet ex variis ejusdem epistolis ac
 decretis, inter quæ celebris est ejus In-
 structio Visitatoribus data, ubi articulo
 30. ait: *Curent, ut de Instituto omnes bene
 sentiant, neque permittantur ullo modo con-
 tra illud disputationes, vel colloquia, &
 adhibeant remedia serio: quod si quis se non
 accommodaret, moneatur, ut potius alibi
 quiete vivat, quam nobiscum.* Nec mi-
 nus paternam sollicitudinam adhibebat
 pro

pro avertendis Societatis calamitatibus; cum enim Sixtus V. in aliquibus Societatis Institutum emendare intenderet, pro avertendo hoc malo, quod tribulationes Sixtinas vocabant, suos ad implorandam Dei opem encyclica epistola his verbis excitabat: Quod semper mos Domini fuit, ut Ecclesiam sponsam suam variis occasionibus exerceret, quo quotidie pulchrior, magisque sine macula redderetur, id etiam in Societate, utpote Ecclesiae membro non inutili, nec infimo, & alias fecisse, & hoc ipso tempore facere videtur; non enim desunt, qui eam conturbent, cum aliis modis, tum etiam incitando Sanctitatem suam, ut quaedam in ejus instituto in dubium vocet, & omnino, ut non ita bene sentiat de quibusdam rebus nostris. Etsi autem confidimus, Dei providentiam, praesto nobis futuram, nec permissuram, ut quicquam detrimenti patiatur id institutum, quod jam tot annorum usu, atque experientia confirmatum est, nihilominus monere volui Reverentiam vestram, ut preces pro hoc ipso indicat, nihil tamen dicendo de his particularibus, sed tantum in universum, ut oretur pro rebus Societatis. Hoc enim curare debet omni studio, ne inter nostros ulla gignatur trepidatio aut timor, quasi magna aliqua perturbatio immineat. Nec in solis hisce hortationibus stetit sollicita hujus Praepositi vigilantia, sed insuper alia episto-

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

Epist. Claud.
Aqua. 4.
Febr. 1589.
ad Ferd.
Alber. Provinc.

Sæc. XVII. A. C. 1615. la suos edocuit, quibus mediis Principum favorem contra Pontificis in Societatem molimina aucupari valeant: Conferat Reverentia vestra, scribebat ille, cum aliquibus præcipuis Patribus de executione cujusdam remedii, quod nobis occurrit non mediocriter profuturum: id autem est, ut curetur, ut aliqui Principes ad Pontificem pro Societate scribant, quoniam alias experti sumus ejusmodi commendationes profuisse. Qui autem esse possint in Provincia ista Principes, & in nos ita benevoli, ut cum iis de hoc agi possit, & ea auctoritate apud Pontificem, ut aliquid apud eum obtinere possint, Reverentia vestra melius videbit, sed nobis hi occurrebant: Inprimis Serenissimus Bavaricæ Dux, qui alias etiam simili occasione mirabiles literas scripserat, sed nos, quia tunc opus non erat, reddi nolimus. Deinde Archidux Ferdinandus, & Episcopus Augustanus rogatus a P. Rosetio. Fortasse etiam non abs re erit, ut scribat Episcopus Basileensis, apud quem valebit P. Streus, & Prixinensis mediante Regina. Cum his igitur, vel cum aliis, quos Reverentia vestra judicabit, agi poterit; quod vero petendum erit, ut scribant, hoc in summa est, audisse se nostros istius provincie non parum commotos esse, quod subintellegerint ejus Sanctitatem fortasse aliquorum sermonibus incitatam, nescio quam mutationem, ac novitatem in rebus nostris medi-

Epist. Claud.
Aq. ad P.
Ferd. Alher
Provinc.
Germ. super.
pag. 312.

meditari : ideoque pro zelo boni communis, Sæc. XVII.
 & pro observantia in hanc sedem, cum vi- A. C. 1615.
 deant, quid Societas in illis partibus præ-
 set, hoc ejus Sanctitati indicare voluisse,
 non putare se e re Ecclesie futurum, ut ista
 perturbatio in Societatem inducatur, quæ
 sine dubio & Catholicis detrimentum ac do-
 lorem, & hæreticis lætitiâ afferret, quin
 etiam subaudisse se quosdam e nostris, cum
 de his novitatibus audissent, ita doluisse, ut
 dicerent, existimaturos se aliam hanc fore
 Religionem ab ea, quam ab initio ingressi
 sunt : ac propterea si id contingat, forte co-
 gitaturos quid sibi expediat. Hoc enim vere
 & alibi nonnullos sensisse scimus, & istis
 idem futurum timemus. Hæc igitur & si-
 milia proponi eis poterunt, sed ita pruden-
 ter ac dextre, ut qui scribent, ita scribant,
 ut non videantur a nobis hinc rogati, sed
 tantum moveri (ut dixi) Zelo boni commu-
 nis, & ex iis, quæ in nostris isthic ob hanc
 occasionem viderunt, persenserunt. Quare
 Reverentiæ vestræ erit rem bene perpendere,
 ac deinde pro sua prudentia videre, quæ ra-
 tio ad hoc efficiendum optima videatur. An-
 te omnia tamen commendo ei celeritatem,
 quoniam in hac fere totum consistet ; literas
 autem istas ad Pontificem nullo modo mit-
 tant per nostros, sed quisque per suos agen-
 tes. Quod vero supra dixi, posse eam com-
 municare cum aliquibus, quibus confidat,
 id ita facere debet, ut eis secretum commit-
 tat,

Sæc. XVII. A. C. 1615. *tat, ne res in alios nostros emanet, quod sine dubio nocere posset, præterea eos ipsos, quibus hæc dicet, ita animabit, ut non timeant, quasi grave aliquod malum instet.*

Opportunum quoque foret, si ad summum Pontificem desuper scriberet Reverendissimus Nuntius Lucernensis, ideoque R. V. instruat Patrem Crusium, quid ei dicere debeat, sed hoc præsertim, quod majus momentum sit habiturum apud Papam, si ipse, ut Sanctitatis suce Minister, illuminet, quid nostri isthic sentiant, moneant etiam D. Pfifferum Prætozem, ut in eandem ipse quoque sententiam scribat ad D. Capitaneum, qui ejus sensum Pontifici deferat. Ex his velut ex ungue cognosci poterit, quam intimo doloris sensu Societatis Filii tam providi Moderatoris, Patrisque jacturam deplorarint.

§. CXV.

Varie Congregationum decisiones.

*Congreg.
Concil. ri-
tuum, &
Episc.*

Ampliori adhuc sollicitudine summus Pontifex varia subinde exorta dubia a suis Deputatis decidi præceperat, & quidem die decima sexta Januarii ejus jussu Sacra Episcoporum Congregatio declarabat, non esse imponendam excommunicationem ob festorum violationem, neque contra non audientes quotidie Concionem in quadragesima,